









1744.

1. Besserer, Dr. Paulus: De interventione post sententiam
2. Hoepfer, Dr. Imerius: De necessario bonae fidei et prescriptiōne actionum personalium sequentiō.
3. Koch, Christoph Dider: De jure appignorationum Imperialium, speciatione in cunctis Imperiis locis occurrentium.

1745-

1. Aymannus, Christophe Dider: De archicancella viorum S. R. Imperii originibus genuinis.  
2. Sculp. 1746.

2. Hasenhardt, Lazar. Henr.: De locata relocatione et reconstructione ad nocturnum iuris cinctis et statutorum Lubeciarum.

3. Thom, Imerius: Dissertatione phil. in ang., qua summi viri imperantium maiestas independentia et frumentorum ab abjectionibus non mortuorum vindicatur.

1746

2

1. Balzer, Dr. Christoph: *De causa et origine Notiorum  
Tionis sponsalium de presenti et de futuro*

3.

- 2<sup>a</sup> Blesen, Franc. Alphons: *De iuri dictione  
principis regentis in patres apanagiatos*

4.

2 Sept. 1746-1750

5.

3. Boehmias, Ludov: *Nusse exercitii Disputationis*

6.

4. Kugserus, Dr. Fries: *De obligatione et valore statuti  
in iustis forensium occasione sed ecclesiasticae,  
jus Territorii prae. f. a. 1723.*

7.

5. Koch, Christoph. Ludov: *De falso statui juris privati  
ejusque culta ratione apud Germanos*

6. Span, Dr. Ludovicus: *No adiutorio in jure.*

1747.

8.

1. Balzer, Dr. Christoph: *De arresto facti et illicto  
et judice rei sive contra forensem decreto.*

2. Grotius, Dr. Nativus : De attentatis mandatum attentatorum  
revocatorium excludentibus et non excludentibus
3. Kaysers, Dr. Fritorius : De iuramento Indacorum.
4. Kaysers, Dr. Fried : De iuris pacis in imperio  
Ann. Germanico.
5. Lauthiner, Dr. York : De principe legibus soluto
6. Lindner, Georg With : De jurisdictione compromissa  
ria tum generatione, tum speciatione August. Cœnacio  
Imp. iuris in econ. ordinat. Law. p. II. t. 29.
7. Miesler, Dr. Gottfridus : De querela et exceptione  
non numeratae pecuniae in cambiali negotio  
maxime ad pro Hamburgoessa applicata
8. Mogen, Ludv. Steph. : De rege Romanorum eque  
vis capitulationis Procl. VII absente vel impedito  
imperatore imperii datione capessente.

1747.

I. Schuler, Ernst Christian, Lugd. : De eo, quod just.  
est in iudiciis moratoriis.

1748.

I. Balzer, Dr. Churhpl: De foro zei sitae apud  
Germanos

II. Korthaus, Heinrichus Testes: De iure dictione  
immediata supradictorum in imperio tribunaliu  
decernendi mandata & liberandi bonis judiciali  
imperatis . . .

*Rub. 2. num. 45.*

*DISSE*  
*RATI*  
*O PHILOSOPHICA INAVGVRALIS*  
QVA  
*SVMMORVM* *1745, 3*  
*IMPERANTIVM MAIESTAS*  
*INDEPENDENS ADSTRVITVR*  
ET  
AB OBIECTIONIBVS MONARCHOMACHORVM  
VINDICATVR  
EX CONSENSV  
*AMPLISSIMI PHILOS. ORDINIS*  
PRAESIDE  
*ERNESTO THOM*  
MORAL. ATQVE IURIS NATVR. ET GENT. P. P. ORD.  
PRO OBTINENDIS  
*SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS*  
D. XXIV. IVNII A. M DCC XXXV.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTENDA  
AB AVCTORE ET RESPONDENTE  
*IOANNE ADAMO FREY*  
DARMST. ALVMNO PRINCIPALI.

---

*GIESSAE*, Typis E. HENR. LAMMERS, ACAD. TYP.




24. 5. 25

DIVINITATIS PHILOSOPHICA INVENIATUR  
AV

SUMMORVM  
IMPERANTIVM MAIESTAS  
INDEPENDENS ADSTRIVTAR  
ET  
AB OFFICIONIBVS MONARCHOMACHORVM  
INDICATVR  
EX CONVENTU  
AMPISSIMI PHILOS ORDINI  
GRÆSIDE  
ERNESTO MONT  
MORALIA LIBRARIA STAGAR ET CENT. P. C. ORD  
LEO OTTENIUS  
SUMMI IN PARADOXVN MONORIBA  
PARVUS IN PARADOXVN EXAMINI  
SABINUS LEBEAU  
ACATORIA ET PASTORALIS  
IOANNES ADVAGO FREY  
DVRST ALVMD PRINCIPALI

---

GLOZNER, TYP. H. H. LAMMERS, A.C.D. 175.



*PERILLVSTRI  
GENERALIA SCICIMEN  
ET  
GENEROSISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
REINHARDO  
GVILIELMO  
BARONI DE ET A  
LEHRBACH  
PRAEFECTO SVMMO  
MONASTERIORVM NOBILIVM HASSIAE  
SERENISSIMI HASSIAE LANDGRAVII  
TRIBVNO  
EQITVM CORPORIS CVSTODIAE  
ADSVETORVM  
ET CAMERARIO  
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO  
ET PATONO  
OMNIS OBSERVANTIAE CVLTU  
PROSECVENDO.*

HOC QVALECVNQVE  
STVDIORVM SVORVM SPECIMEN  
TANQVAM LEVE MVNVSCVLVM  
PRO MVLTIS ET SINGVLARIBVS  
ERGA IPSVM BENEFICIIS  
GRATISSIMO PLENOQVE PIETATIS ANIMO  
OFFERT;  
VITAM BONIS OMNIBVS CVMVLATAM  
PRECATVR  
ET SE TOTVM DE MELIORI NOTA  
COMMENDAT

*PERILLVSTRIS NOMINIS*

CLiens ADDICTVS

I. A. FREY.



§. I.

**H**OMINES propter prauas inclinationes ad mala quævis pronos esse, experientia docet. Cum vero ex consideratione animae humanae perspicuum sit, peruersas inclinationes homines ad actus ipsis conformes internos & externos incitare, actus autem illos, nisi iis (quod tamen a paucissimis fieri solet) resistatur, frequenti exercitio inclinationes etiam leuiores in habitus vitiosos, qui porro in crebriores actus iniquos erumpunt, conuertere: vniuersiusque salus ab improborum iniuriis, quoad fieri potuit tutta præstanda fuit,

§. II.

Inter bona nobis a Deo data eminet vita naturæ membrorumque sanitas. Ne ergo probiores aliorum hominum prauis propensionib[us] incitatorum & peruersis habitibus ac affectibus abreptorum libidini ac violentiae vel cum periculo vita & membrorum corporis sint expositi, cauendum omni modo fuit.

§. III.

Ne alius qui ad famem depellendam victum necessarium querit, agrum colat, alius vero, qui gulam tantum explore cupit, terrae fruges auferat comedatque: (I. F. Buddei Inst. Theol. mor. part. II. c. 2. §. 31.) rerum externalium dominia introduci necesse fuit, ut quilibet

A

bonis

bonis suis, magno interdum labore partis frui libere possit.

#### §. IV.

Suum definitur per complexum honorum, quibus aliquis instructus est (Koehl. ius naturae §. 74.7.) Cum ergo felicem degere vitam homo non possit, nisi a laesione corporis tutus sit (§. 2.) & nisi domina rerum sive introducta (§. 3.) rebus ita se habentibus sine suo felix esse non potest. Suum ergo quod cuique est, continet in se rationem felicitatis, & est medium, quo felicitas in hac vita obtinetur.

#### §. V.

Quilibet homo a lege naturae ad felicitatem suam conseruandam obligatur, lex naturae dat cuique ius usurpandi & conseruandi media, quibus id, ad quod obligatus est, obtinetur (Wolf. §. 159. part. I. Phil. praect. vniu.) ergo quilibet homo habebit quoque ius usurpandi & conseruandi suum (§. 4.)

#### §. VI.

Ne vero unus vel plures simul vi alteri suum eripiant, plures sibi mutuum auxilium in repellenda vi & iniuria ferant, necesse fuit. Ast quilibet suum conseruandi & usurpandi ius habet (§. 5.) ergo & iam cum aliis de ferendo mutuo auxilio consentiendi iure gaudet.

#### §. VII.

Securitas est status, in quo liberi sumus a laesioniis aliorum. Plures ideo sibi mutuum auxilium ferunt, ut aliorum laesiones seu iniurias repellant, & ut tranquille

quille vivant; securitas ergo finis principalis fuit, propter quem plures sibi mutuum auxilium ferendum esse censuerunt (confr. Illustr. Wolf. polit. §. 212.)

### §. VIII.

Datur praeter hunc finem principalem alius minus principalis, nempe maior vitae commoditas, de quo idem Cel. Auct. satis perspicue egit l. c. §. 210. Duplex hiece finis bonum publicum vocatur; (Koehl. §. 486. Iur. Social.) ad institutum autem nostrum primus paene sufficere videtur.

### §. IX.

Qui alteri auxilium fert, vires suas cum viribus alterius coniungit, sive eum participem facit virium suarum, sicut Celeb. Koehl. loquitur §. 16. Iur. Social. Coniunctio igitur virium necessaria fuit, si iniurias aliorum repellere quidam secum constituerunt.

### §. X.

Vires intellectus quidem multum interdum adiuvant alios, cum salutare ipsis auxilium suppeditatur, sed hoc loco, ubi de iniuriis aliorum armata ut plurimum manu illatis repellendis agitur, vis haec intellectus sola non sufficit, coniunctio virium corporis potius adsit oportet. Quoniam vero vires hae adiutrices pertinent ad facultatem locomotiam, vsus autem facultatis locomotiae pender a voluntate, conspiratio voluntatum ad iniurias repellendas necessaria est.

### §. XI.

Voluntas cum sit adpetitio boni & auersatio mali

A 2

distin-

distincte cogniti, ntitur intellectu, a quo ipsi bonum vel malum distincte repraesentatur. Coniunctio igitur virium consensionem intellectuum supponit.

## §. XII.

Pactum est consensus plurium de aliquo praestando, si rei praestandae finis itemque media fuerint iusta, pactum quoque iustum adpellari meretur, si illa iniusta, hoc quoque iniustum merito vocatur. Homines per consensionem intellectuum (§. II.) conspirationem voluntatum (§. IO.) ac coniunctionem virium corporis (§. 9.) auxilium sibi mutuum (§. 7.) praestare consenserunt, adeoque de ferendo mutuo auxilio pacium iniuerunt, quod cum non ad inferendas sed ad propulsandas injurias factum sit, cumque legitima adhibita fuerint media, iustum illud vocare merito ac optimo iure possumus.

## §. XIII.

Experientia quotidiana quemque facile edocet, quam raro eueniat, vt vel exiguus numerus hominum vnam rem eodem modo sibi repraesenteret, communique consensu aut adprobet aut aspernetur. Hinc quam diuersa sint ingenia ac studia eorum testatur. Cum vero consensus vnae misericordiae tam raro etiam in paucis reperiatur, quilibet facile concire potest, quam rarissimum fore, imo fieri paene non posse, vt tanta multitudine hominum, quanta ad pericula depellenda necessaria est, consentiat.

## §. XIV.

Persona est substantia completa intellectu & voluntate

tate praedita, hanc physicam adpellare moris est. Complexus quarumdam eiusmodi personarum, quæ intellectum & voluntatem communem in certum finem (§. 7. 8.) tendentem habent, persona moralis dicitur.

§. XV.

Coniunctio virium locum habere non potest, nisi adfuerit consensio intellectuum (§. 11.) & voluntatum (§. 10.) sed cum raro accidat, imo paene fieri non possit, ut omnes consentiant: (§. 13.) persona vel physica vel moralis (§. 14.) est constituenda, cuius intellectus & voluntas pro intellectu & voluntate omnium haberi, cuiusque arbitrio eam ob causam eorum voluntas submitti debet, ita, ut quod eiusmodi persona iubet i. e. in quo voluntatem suam declarat, aliquid fieri vel omitti debere, vel omnes, vel tot, quot pro ratione rei exequendae & circumstantiarum requiruntur, pro virili exequantur.

§. XVI.

Nomen societatis duplici sensu accipitur, modo pro personis, modo pro statu consentientium communis finis obtinendi causa. Finis auxilii mutui vnius iussu præstandi quum sit securitas, (§. 7.) societas autem huius causa inita, ciuitas vocari solet: societas civilis est status consentientium ad securitatem communibus viribus vnius personae iussu (§. 15.) impetrāndam ac conseruandam. Homines, qui hoc fine vires suas coniungunt s. socii ciuium nomine nuncupantur.

§. XVII.

Imperium est ius agenda iubendi (§. 15.) Imperium

ciuale est imperium ad securitatem tendens. Summum est , quo non datur in suo genere aliud maiore gradu praeditum , ergo nulli subiectum , siue independens est. Imperium ciuale summum est imperium ciuale , quo non datur maius. Hoc ipsum est , quod summa maiestas adpellari solet. Bodinus L. I. Cap. VIII. de republ. summam maiestatem definit , quod sit summa in ciues ac subditos legibusque soluta potestas , qua definitio profusa cum nostra conuenit ; quam , ut ex subsequentibus verbis patet , per leges intelligat ciuiles , qua superioris notionem inuoluunt , iam vero summo imperio non datur maius , ergo quoque tum summum imperium , tum summus imperans a legibus nempe superioris , cui non subiectus est , non dependet , iisque est solutus.

## §. XVIII.

Vbicunque de superiore , quem summus imperans non agnoscit , hisce pagellis agitur , de superiore in terris non de Deo supremo sermonem esse , omnibus per se patet. Hic enim est , qui summorum in terra regnantium non minus , ac infimae fortis hominum summus Dominus & imperans est , ac in aeternum manebit. c. Illustr. Wolf. Theol. nat. Part. I. §. 966.

## §. XIX.

Si ciues coniungere vires suas voluere , necesse fuit , ut intellectum & voluntatem vnius personae pro intellectu & voluntate omnium communi haberent ( §. 15.) eiusque iussa omnibus viribus exequi niterentur , ideoque imperium ciuale constituerent. ( §. 17.)

## §. XX.

§. XX.

Qui ante consociationem in statu naturali vixerunt, i.e. non agnouerunt superiorem, hi omnes postea imperium ciuale constituerunt, cuius iussa exequuntur, ergo neque intra neque extra ciuitatem superior datur, per consequens imperium tale ciuale est summum atque independens, & maiestas summa atque independens vocanda est.

§. XXI.

Qui antea non agnouerunt superiorem, & quos nemo coegerit, ut sibi superiorem constituerent, vel ut se huic illius homini, aut huic illius concilio subiicerent, ii summum imperium libero consensu vni personae physicae vel morali detulerunt, quodsi haec ipsa persona, vel verbis expressis, vel ipso facto accepit, constitutio summi imperii eiusque in hanc vel illam personam physicam vel moralem translatio, per pactum tum ciuium subditorum inter se, tum summi imperantis & ciuium ei subditorum facta est. (§. 12.)

§. XXII.

Pacta haec iusta esse quilibet intelligit, nam finis pactorum non est iniuria nec vis tertio inferenda, sed ciuium securitas, neque coniunctione virium tanquam medio tertius est laesus, ergo & finis & medium horum pactorum sunt legitima, ipsaque pacta iusta. (§. 12.)

§. XXIII.

Summa maiestas si tribuitur personae physicae imperium monarchicum, si collegio personarum praecipuarum aristocraticum, si denique omnibus patribus familias commune est, democraticum appellatur.

§. XXIV.

## §. XXIV.

Non putandum est, minus consentaneum esse, si in imperio aristocratico per pacta ciuium in rebus decernendis maior pars aliquid definit, eaque ratione voluntas haec non omnium, apud quos summa potestas est, communis esse, atque ita pars minor iure suo priuari videatur. Nam vel totus populus, vel ii, quibus a populo tale quid constituendi potestas data est, per pactum iustum decreuerunt adeoque voluerunt, ut id, quod a maiori parte statutum fuerit, valeat, per consequens omnium voluntas, ut id quibus exequatur iubet, & (§. II.) intellectus adprobat.

## §. XXV.

Non repugnat, si quis instat, dari regna, in quibus imperantes in principio homines liberos vi iniusta sine consensu ipsorum sibi subiecissent. At haec ipsa regna, cum vel ii, qui subegerunt illa, vel horum successores imperium summum ad utilitatem subditorum exercerunt, per subsequentem ciuium consensum expressum vel tacitum legitima sunt facta.

## §. XXVI.

Nec hoc prorsus nego finem quarundam societatum initio oppressionem aliorum innocentium fuisse. Securitas tamen ciuium tanquam finis ipsis proposita fuit, cum vnius personae iussu & ciuium utilitati consulere & hostium externorum vim reprimere, pacemque inter ciues ipsos conseruare studebent. Quodsi illae potesta ab aliorum innocentium oppressione destiterunt, ciuitates iuri naturali quam maxime conformes factae sunt.

## VIX.

## §. XXVII.

## §. XXVII.

Omnia summorum imperantium iura, quae rationem sufficientem in collato summo imperio habent, iura maiestatis dicuntur; summa ergo atque independens maiestas est principium ac fundamentum illorum iurium.

## §. XXVIII.

Competunt vero iura maiestatis imperanti summo tum respectu aliarum ciuitatum, tum respectu ciuium ipsi subditorum. Prioris generis sunt ius bellum gerendi, pacem faciendi, legatos mittendi cet.; posterioris vero, de quibus hoc loco maxime agendum, sunt sequentia.

## §. XXIX.

Primum ex imperio summo immediate fluens est ius leges ferendi. Habet enim summus imperans ius in suo gradu maximum iubandi agenda boni publici promovendi causa; eiusmodi vero iussum eorum, quae boni publici gratia agenda sunt, vocatur lex civilis; ergo summus imperans gaudet iure leges ferendi ciuiles. Cum definitione hac legis maxime consentit illa Bodini, L. I. C. 8. de republ. vbi de lege ciuili dicit, quod nihil aliud sit quam summae potestatis iussum. Et ne id quem moueat, quod & legibus magistratum inferiorum obligemur; notemus, quod ideo tantum magistratum eorum iussa nos obligent, quia summus imperans vel verbis expressis, vel ipso facto, cum eos constitueret, illorum iusvis parendum esse declarauit.

## §. XXX.

Frusta dantur leges, nisi obseruentur; ergo cum  
B jure

iure leges ferendi, coniunctum quoque esse debet ius cōgendi ciues, ut legibus obtemperent. Coactio civilis fit per poenas; ergo imperanti summo competit ius puniendi.

§. XXXI.

Summus imperans quam maxime obligatus est ad obseruandam respectu ei subditorum iustitiam tum per leges diuinias, tum interdum per pacta conuentionalia (ut Bodinus ea vocat) cum subditis inita, tum etiam, quia id quam maxime ad publicam facit securitatem. Poena hinc non nisi ei, qui ea maxime dignus est, eaque & cum delicto & cum periculo, quod inde bono publico imminet, proportionata infligenda. Habet ergo ius facta ciuium examinandi, de iisque iudicandi.

S. XXXII.

Ipse solus nec omnia examinare nec etiam minuisima ad salutem rei publicæ necessaria componere potest; quod ipse solus peragere non potest, id per alios facit; administros ergo, qui ipsius nomine negotia exercant, constituendi iure gaudet.

S. XXXIII.

Ad hos administratos salario sustentandos, ad milites alendos, ad vrbes securitatis caussa munierendas munerasque conseruandas, ac denique ad multas res alias sumptus requiruntur, qui cum necessarii sint nec aliunde peti possint, quam a ciuibus; sequitur, ut summus imperans ius habeat ipsis tributa imponendi.

S. XXXIV.

Competit quoque summo imperanti dominium eminentis,

minens, seu ius bonis viuis vel plurimum ciuium ad utilitatem vel securitatem reipublicae urgente extrema necessitate utendi. Sed sufficiente haec nobis principia, quae proferenda esse duximus, ut iis positis obiectiones monarchorum comitiodius repellere possumus.

§. XXXV.

Quatenus principiatum pendet a principio, eatenus quale principium, tale principiatum. Haec ergo (§. 29. 30. 31. 32. 33. 34.) commemorata iura summi imperantibus cum ab imperio summo, qua summo dependeant, etiam summa ac independentia esse vocanda patet.

§. XXXVI.

Forsitan quispiam dixerit: In multis rebus publicis id vsu venit, ut populus non omnia iura imperantia exercenda per pacta conventionalia, quae omnino servanda sunt, tradiderit, sed quaedam interdum tantum principi, quaedam etiam optimatibus tribuerit, quaedam interdum, ut apud veteres Romanos, & ipse retinuerit. Sed cum haec simul summa summum imperium efficiant, summum imperium in huiusmodi ciuitate locum habere declarant, & quaecunque ciuitatis pars ius quoddam vel plura simul suo iure exerceat, illud vel illa tanquam summa exerceat, licet ipsa respublica ex diuersis, quas (§. 23.) diximus, formis composita mixta vel temperata sit adpellanda.

§. XXXVII.

Ex pacto subditorum cum summo imperante factis eives consenserunt, ut summi imperantis intellectus & voluntas pro voluntate omnium haberetur, ipsisque ex-

cutio tantum rei iussae tribueretur, ideoque summum imperium per pactum in summum imperantem trans-tulerunt. Res per pactum translated ad noui possessoris sūmum pertinet, imperium igitur ciuale summum ad summi imperantis sūmum pertinet.

### §. XXXVIII.

Jus suum quilibet suo iure exercet; quod quis suo iure agit, de eo rationes nulli reddere tenet; summus ergo imperans nemini mortalium rationem exercitii summi imperii reddere tenetur.

### §. XXXIX.

Poena stricte dicta est malum passionis ob malum actionis a superiore immisum. Summus imperans neque superiore agnoscit, neque cuidam mortalium rationes reddere tenetur; multo ergo minus poena a quodam adfici potest.

### §. XL.

Inuiolabilis est in sensu lato, qui a nemine laedi potest; in stricto, qui nec a populo nec ab ullo homine puniri potest. Summus imperans utroque sensu inuiolabilis recte dici potest (conf. Koehl. ius sociale §. 1321.).

### §. XLI.

At vero haec doctrina maxime solicitat monarchachos, qui magno conatu id agunt, ut si minus euertere eam possint, maximam tamen eius partem infringant. Eorum argumenta, quibus praecipue vtuntur ad populi potestatem in summum imperantem prohibandam, cum ita comparata sunt, ut prauis ac perniciose simis opinionibus animos quorundam imbuere possint:

\*) 13 (\*)

sint : operae pretium esse duximus ea, quae grauissima  
esse videntur, excutere atque refutare.

**§. XLII.**

Tanta est monarchomachorum illorum malitia, ut  
dum pestifera semina spargunt, speciem probitatis piae  
se ferre audeant, quo facilius incātios decipere possint.  
Quin eorum impietas eo progreditur, ut sacram scriptu-  
ram, quae tamen ipsorum sententiae contraria tum in  
quarto decalogi precepto, tum in aliis locis complu-  
ribus probat, ad tuendas falsas opiniones perperam in-  
terpretari non erubescant.

**§. XLIII.**

Quum vero hac ratione rem pessimam defendere  
conantur, opus erit, ad argumenta eorum accurate exa-  
minanda dissertationi huic philosophicae theologica  
quaedam admiscere. Qua in reveniam mihi datum iri con-  
fido, eoque magis, quod non telis pugno theologis,  
quorum copia in hoc arguento non esset defutura (§.  
42.), sed quia peruersam interpretationem ac præposte-  
ram adlicationem locorum sacrae scripture ante oculos  
ponere constitui.

**§. XLIV.**

Cum vero magnus sit numerus argumentorum, quae  
a monarchomachis adferuntur, potiora tantum, in qui-  
bus reliqua nituntur exquirenda esse existimavi, his euer-  
sis cetera facile corruunt. Reperimus illa potissimum  
in libro non ignoto, qui inscribitur *Vindiciae contra  
tyrannos, sive de principiis in populum, populique in prin-  
cipem, legitima potestate*, Stephano Junio Bruto  
Celtis

B 3

*Celio Auctore.* Nomen hoc commentitium esse nemo dubitat, de vero autem scriptoris nomine variae eruditorum sententiae sunt, quas Petrus Bayle in *Dict. hist. crit. commemorat & sub S. I. Bruto Hubertum Lan-*

*guetum latere affirmat.*

**S. XLV.**

Auctor iste primum ut imprudentes inducat, sese que sub pietatis specie commendet, multis verbis de eo disputat, an regi vel principi aduersus legem Dei aliquid imperanti obedire subditi teneantur, quod longas ambages agens negat. Quasi vero de eo inter Christianos dubitetur, qui, ut ipse monet, scripturam sacram pro vitae norma habentes uno ore profitentur, Deo, secundum illud Apostoli, magis obedientum esse quam hominibus.

**S. XLVI.**

Causam autem, quare res se ita habeat, hanc adiungit: *Deus iurisdictione sua vtitur, Reges delegata tan-*

*tum.* Haec verba, etiam si delegata idem significet, ac commissa, demandata, sano sensu nempe respectu Dei sumta, verissima esse fateor. Nam hoc sensu omnia, quae habemus bona nobis sunt commissa, demandata f. delegata, ita ut omnes, non exceptis iis, qui imperant, totius mundi Domino aliquando rationes de visu & abusu illorum reddere teneamur. Vera quoque est proposicio, si delegatum dicatur ratione habita eorum bonorum, quae nobis propter naturam humanam connata dicuntur. Neutquam vero concedenda est ista proposicio, si ut Auctor in tota tractatione probare cogitat, per iurisdictionem summo imperanti delegatam intelli-

gitur

gitur ea , quae a populo principi tantum demandata, non vero in ipsum translata est. Princeps quidem ad ministro cuidam exercitium iuris cuiusdam maiestatis ea conditione demandat, ut quoad principi libitum fuerit, illud eius nomine exerceat, ipsique de administratione rationem reddat. Sed princeps summum imperium plane alia ratione tenet. Populus eius intellectui & voluntati intellectum & voluntatem suam submisit, ac summum imperium in ipsum per pactum transtulit, ex quo ille summum in quemlibet imperium suo iure, quoad viuit, exercet, neminique mortalium rationem de administratione republicae reddere tenetur.

*§. XLVII.*

Sed aggrediamur ad propositionem, in qua momentum maximum est, & ad quam, quasi ad fundamentum omnia referuntur argumenta. *Populus*, ait, *imperante superior est, imperans vero populo inferior*. Loca quadam, in quibus haec continentur, & quae expendimus, postea brevitas caufa allegabimus.

*§. XLVIII.*

At nisi me omnia fallunt, euidens satis contradicatio perspicitur; confiteri enim necesse est monarchachos, populum imperium summo imperanti & quidem quoad viuit detulisse: & tamen dicunt illum manere superiorem. Propter libertatem populi naturalem extra ciuitatem non datur superior, sed nec intra ciuitatem populus uniusversus, nec ullum collegium præcipuorum ex populo potest esse superius imperante. Nam summus imperans est, cui populus intellectum, voluntatem viresque

viresque suas submisit, eaque ratione in illum summum imperium transluit, (§. 17.) quod vero quis in alterum transfert, ipse non retinet; cives in summum imperantem imperium & quidem quoad viuit translulerunt; ergo nos retinuerunt. Praeterea imperans ab vniuerso populo constitutus supponit eundem populum vniuersum parentem. Quis vero sanæ mentis aut parentes imperio superiores imperante, aut imperantem inferiorem iis, quibus imperatur, esse dixerit; populum autem respectu imperantis superiorem & inferiorem appellare, manifestam contradictionem inuoluit.

## §. XLIX.

Non nescio quidem, monarchomachos quosdam distinguere summum imperium reale a personali, & illud penes populum, hoc penes principem esse, dicere. Sed per hanc diuisionem, quam ad imminuendam principis maiestatem excogitarunt, in vnam ciuitatem duo distincta imperia, quæ in ea non existunt, introducere velle videntur; ponunt enim vnum summum, alterum minus summum, quod locum habere non potest in imperio, cuius vna forma est, & in quo populus summum imperantem constituens voluit, vt eius intellectus & voluntas sit intellectus & voluntas totius populi, quo pacto cum populus se imperanti subiecit, & potestate sua renunciavit, ipsi nulla maiestas, multo minus realis potest adfingi.

## §. L.

At inquit, summum tamen imperium reale in populo residere ex eo adparere, quod extincto principe, aut

3.

aut stirpe regia deleta, i potestas sit populo alium sum-  
mum imperantem, qui ipsi probatur, eligendi, vel rei-  
publicae formam mutandi. Non nego, populum, si  
nullo amplius pacto adstrictus est, vi posse suo iure;  
sed ex eo non efficitur, ei competere maiestatem rea-  
lem superflite & regnante principe, cui voluntatem &  
vires per pactum subiecerat. Vbi porro post obitum im-  
perantis in eum non cadit maiestas personalis, ibi ex al-  
tera parte realem ab illa distinctam ponere superuacar-  
num est. Inepta est igitur illa diuisio.

S. LI.

Nunc progrediamur ad argumenta, quibus S. I.  
Brutus quaest. 3. probare conatur, populum esse & ma-  
nere suo imperante superiorem. Primum argumentum,  
quod adfert, est illud: Populus imperantes constituit;  
superior autem constituit inferiorem, eiusque verba hæc  
sunt: *Iam vero cum reges a populo consituantur, omnino se-  
qui videtur populum vniuersum rege posteriori esse.* His ad-  
dit explicationem vocabuli potioris: *Ea enim, inquit,  
vis verbi est, ut qui ab aliquo constituitur, eo minor ha-  
beatur, qui ab aliquo autoritatem accepit, suo auctore infe-  
rior sit.* Argumentum in formam collectum, ni fallor,  
ita se habet; Constituens est maior constituto. Populus  
est constituens; est ergo maior a se constituto scil. im-  
perante. Nego vniuersalitatem propositionis maioris.  
Plerumque quidem, quod fatendum est, constituens est  
maior constituto, quod tum videmus, cum summus im-  
perans ciuitatibus imperio suo subditis iudices constituit;  
sed plane diuersa ratio est, si populus vniuersus impe-

C

rantem

3397 A

rahem sibi constitutus summum imperium in eum trans-  
tulit, eumque pro superiore agnouit. Ceterum omni-  
no verum non esse, constituentem semper esse maiorem  
constituto, aut ex eo intelligitur, quod Grotius *de I.B.*  
*& P.L.* 1. c. 3. §. 8. n. 13. dicit, vxorem, qua maritum sibi  
dominum constituit, non esse superiorem constituto, aut  
perspicuum est ex eo, quod Heinecc. *Fund. Iur. nat.* &  
*gent.* Part. 2. §. 130. adfert, si seruus, qui se vltro do-  
mino aliqui in seruitutem obnoxium addixit, sese su-  
periorem domino dicere vellet, quia sibi ipse dominum  
constituerit.

A. S. Audited & Enclosed. S. LII.

Distinguendum itaque putamus cum le Bleu in Diff.  
de imperantium natura & officio §. 10. cuius inspicienda  
a Viro summe Reuerendo Neubauer Ephoro meo ma-  
xime colendo mihi facta est facultas, inter demanda-  
tionem, qua alicui iura quaedam nostro nomine exer-  
cenda sunt, & translationem, qua in ipsum ius quod-  
dam suo nomine excedendum transferimus. Prius locum  
obtinet, si princeps inferiores constituit, hi sunt ac ma-  
nent hoc respectu inferiores constituenta summo im-  
perante; posterius vero, ubi de collato summo impe-  
rio in summum imperantem sermo est, valet;

§. LIII.

**Exempla, quae ex sacris litteris allegantur, plane  
non conueniunt, agunt enim de ministris, vel magistra-  
tibus inferioribus a Dominis, vel summo imperante  
constitutis. Talia sunt Iosephi a Potiphare & Danielis  
a rege**

3.

a rege Dario constitutorum. Ex historia profana ali-  
legata probant, regem a populo creari, sed creationem  
regum a populo factam, non probare, populum esse  
superiorem suo imperante iam (§. 51. 52.) vidi-  
mus.

§. LIV.

Argumentum secundum hoc est: Si populus po-  
test esse sine rege, sed rex non item sine populo, se-  
quitur, ut populus sit potior, i.e. ut Brutus significare  
vult, superior imperante. Prius autem verum, ergo &  
posteriorius, conf. idem Iunius Brutus ibid. Quod ad an-  
tecedens attinet, moneo non necessario summum impe-  
rantem regem esse in persona physica, sed posse quoque  
esse personam moralem, (§. 23.) ut in imperio aristocra-  
tico & democratico conspicitur, & per §. 19. statuo,  
populum in societate ciuili constitutum, non posse esse  
sine summo imperio atque imperante. Nec ullum nexum  
inter antecedens & consequens intercedere, constat.

§. LV.

Argumentum tertium, si in forma proponitur, tale  
erit: Si imperans est propter populum, populus est po-  
tior, i.e. superior suo imperante. A. prius E. & poste-  
rius. Sed sicut antecedens & cum ratione & cum reuelatione  
quam optime consentaneum esse adero: ita con-  
sequentiam consequentis ex antecedente in totum nego,  
ac per consequentia exempla tollo. Si tutor est propter  
pupillum, Professores propter ciues academicos, magi-  
ster propter discipulum, sequitur, ut priores semper  
sint inferiores posterioribus. Quis vero est, qui hoc  
dixerit?

C 2

§. LVI.

§. LVI.

Argumenta deinde haec tria auctor noster deuincit  
hac complexione : Cum rex per populum & propter popu-  
lum existat , nec absque populo consistere possit : cui mirum  
videatur , se populum rege potiorem i. e. superiorem , esse con-  
cludamus . Certum potius est , totum populum ex eo-  
que omnes & singulos imperantem sibi superiorem con-  
stituere , in eumque summum & unicum in ciuitate im-  
perium transferre , ita ut summus imperans & singulis &  
vniuersis sit superior .

§. LVII.

Quodsi vero populus vniuersus est inferior impe-  
rante summo , optimates quoque , quos populum re-  
praesentare aiunt , imperante summo sunt inferiores .  
Quas enim partes praecipuas vel potiores populus vni-  
uersus non habet , eas nec optimates populum reprae-  
sentantes habere poterunt . Falsa ergo sunt illa Bruti :  
*Ut populus vniuersus rege superior est ; ita etiam optimates ,*  
*et singuli rege inferiores sint , vniuersi tamen rege superiores*  
*censendi sunt . Ex falso enim praemissa , populum vni-  
uersum esse superiorem imperante , falsa quoque haec*  
*conclusio sequitur .*

§. LVIII.

Falsum quoque est , quod ex eo colligunt , a summo  
imperante ad populum , veles qui illum repraesentant , ad-  
pellare , atque his acta regis infringere licere . Nihil etiam  
confirmat exemplum Ionathanis i Sam. XIV. 45 . quem  
populus a morte vindicauit , cum Saulus rex de filio ,  
qui

qui edicti patris ignarus mel gustauerat , supplicium sumere vellet . Fuit enim easus plane singularis atque extraordinarius . Jonathan regis Sauli filius , qui non sine maximo vitae periculo Palæstinos adortus illo ipso die insignem victoriam Israelitum pepererat , etiamsi re ipsa contra edictum patris fecisset , dignus tamen fuit , cuiu-  
venia daretur . Sed ne dici quidem potest , Jonathanem contra edictum patris fecisse . Nam cum illud ei notum non esset , ipsum obligare non potuit . Saulus ideo Israelitas cibo se abstinere iussit , eosque hanc ob causam iure jurando obstrinxit , ne a prosequendis hosti-  
bus retardarentur . Jonathan autem , non nisi animo ipsum deficiente extremum baculi melle tinxit , eoque gustato animum viresque suas refecit , vt secundum voluntatem parentis eo melius hostibus nocere posset . Sed de prouocatione Ionthanis ad populum nulla pla-  
ne mentio facta est , populus potius inconsultam ratio-  
nem & iniustam Sauli consilium perspiciens sua sponte  
 lo . a hani deprecator apud patrem Saulum adfuit , si-  
mulque declarauit , si Rex nihilo minus in proposito in-  
iquo perseveraret , se non permisurum Ionthanem in-  
nocentem occidi . Quis ergo ex vaico exemplo & casu  
extraordinario , in quo ne de adpellatione quidem sermo-  
est , colligeret , hanc esse licitam , & si vel maxime in re-  
gno Israelitico prouocatio ad populum locum habuisset ,  
quis porro statueret , eam esse iuris gentium .

### §. LIX.

Sed ipse Stephanus Iunius , ubi videt , casum extra-  
ordinarium non sufficere ad ius ex eo probandum , ali-

C 3

nd

ud exemplum addit, idque ex *Ierem. XXVI. 20.* seqq. petit, in quo loco optimates diserte, ut dicit, acta regis Ioacimi, qui Vriam prophetam ob vaticinia ex Aegypto eductum necauit, improbat. In ipso facinore optimates regis adiutores fuerunt, & post factum optimates sorte alii illud reprehenderunt. Ut reliqua, quae responderi possent, taceam, hoc vnicum moneo, ex improbatione post factum neutquam ius infirmandi mandata principis elici posse.

## §. LX.

Exemplum, quod ex profana historia adfertur de populo Romano, qui per tribunos plebis acta senatus irrita reddere potuit, plane non quadrat. Quis enim ignorat, formam veteris reipublicae Romane fuisse mixtam. Imperium partim penes Consules & senatum, partim penes populum fuit, & inter iura quae populus sibi reseruauerat hoc non fuit ultimum, quod senatus contra voluntatem plebis, quem eius tribuni declarabant, leges sancire non liceret. Contradiccio ergo vel intercessio tribunorum plebis non tollebat summum imperium, sed potius ab eo oriebatur.

## §. LXI.

Sed nolo diutius recensioni omnium eiusdem generis exemplorum immorari. Fingamus enim eiusmodi confirmationem mandatorum summorum imperantium ipsis viuis huic illiue populo vstatam fuisse, haec confirmatio aut ex pacto inter principem & populum existente, aut sine eo fieri potuit. Si prius in republica mixta, populus sibi hoc ius reseruauit, & hac ratione cum principi-

princeps simul imperat. Si posterius, infirmatio, si iusta esse debet, lege tacita, i. e. consuetudine niti necesse est. Sed ad consuetudinem, quae legis vim habere debet, in primis actuum frequentiam requiri satis cuiuslibet notum est. Quis itaque concludet; hoc semel aut iterum factum est, ergo ex eo consuetudo, ex consuetudine lex, & ex hac ius tale quid etiam in aliis rebus publicis suscipiendi natum est. Firma potius atque immota thesis manet: Imperantes summi nullum in terris superiorem agnoscunt.

### §. LXII.

Argumento monarchomachorum grauissimo refutato, reliqua facile concidunt. Examinemus nunc hanc thesin, quam Brutus ita proponit. *Rexne a lege, an lex a rege dependeat?* Decisio subsequitur: *Legibus in homines non hominibus in leges auctoritas conuenit.* Verum rem multo altera esse habere ex principio de legibus ciuitatis (§. 29.) iam adseuerauimus. Distinguenda sunt leges, quas vocant, fundamentales, & leges naturales a legibus ciuitatis. Ultimae, non vero duae priores legum species a voluntate summorum imperantium pendent.

### §. LXIII.

Leges fundamentales reuera pacta iusta sunt inter principem & populum facta, quae etiam pacta conuentionalia appellari solent. Pacta vero iusta sunt seruanda, ergo quoque pacta conuentionalia i. e. leges fundamentales.

### §. LXIV.

## §. LXIV.

Patet porro, summum imperantem esse hominem  
eaque de causa ad obseruandas leges naturales obliga-  
tum esse, neminemque laedere debere. Sed hoc prin-  
cipium iuris naturalis neutquam violatur, si summus  
imperans cum pernicie vnius vel quorundam ciuium  
salutem totius ciuitatis conseruare studer. Salus enim  
plurium est maius bonum, quam salus paucorum. Bo-  
num autem maius praferendum est bono minori; salus  
igitur plurium est praferenda saluti paucorum. Quodsi  
salus plurium vel totius reipublicae aliter obtineri non  
potest, quam cum pernicie vnius vel nonnullorum; il-  
lam hoc modo conseruare sicebis.

## §. LXV.

De legibus ciuilibus iam supra diximus, earum  
causam esse voluntatem summi imperantis (§. 29.) Quo-  
niam vero effectus dependet a causa, non autem causa  
ab effectu, voluntas summi imperantis non a lege ciui-  
li, sed lex ciuilis a summo imperante dependet. Per-  
suasum tamen nobis est, laudabile exemplum summi  
imperantis, qui ipse secundum leges viuit, quam ma-  
xime populum ad leges obseruandas commouere.

## §. LXVI.

Sed occurritur nobis a monarchomachis dicen-  
bus: Si leges ab imperantibus pendent, potestate ab-  
uti sua possunt. Respondeo: Tollatur abulus, & reti-  
neatur usus. Homines cibo, potu, vestibus & somno  
abuti possunt & solent, illorum tamen usum propter  
abulum

) 28 (

abusum tollere velle, insanum esset; Ceterum de ab-  
usu pactis conventionalibus & legibus diuinis iam cau-  
tum est. Reliqua, quae adferuntur, docent, impe-  
rantes legibus diuinis parere & pacta conventionalia  
seruare debere. Sed haec non negamus.

§. LXVII.

Imperantes leges ciuiles iure abrogare posse adfir-  
mamus. Si enim summo imperanti semper ius leges fe-  
rendi comperit, ( §. 29.) ius quoque habet leges mu-  
tandi aut tollendi, prout veritas reipublicae postulat.  
Nec exempla, quæ Iunius Brutus ponit, huic thesi ob-  
stant, vt pote quæ de regnis agunt, in quibus per pacta  
conventionalia, quæ & nos seruanda esse diximus, leges  
nouas ferre non licet.

§. LXVIII.

Duo restant. Quæritur primum, an summus im-  
perans ab vlo homine ad rationem reddendam iure  
cogi possit, deinde an eum punire permisum sit? Bru-  
tus ait, nos negamus, & quidem primum ex hac ra-  
tione: Si imperans summum imperium suo iure exer-  
cit, nec vllum habet superiorem, actiones eius a nul-  
lo mortalium pendent, nec ratio actionum suarum ipsi  
in terra reddenda est.

§. LXIX.

Ad extremum respondemus, posito eodem prin-  
cipio: Qui superiorem non habet, is nec ab vlo puni-  
ri iure potest. ( §. 17.) Alii enim imperantes ipsi sunt  
pares, reliqui ciues autem ei subditi tum singuli tum

D

yniuersi

vniuersit. sunt inferiorēs. Poena vero tantum infligi potest a superiorē. audigat & arbitriu[m] suu[m] p[ro]p[ri]o

## §. LX.

Exempla si vel sexenta adferantur a monarcho machis prorsus nihil probant, cum res vel contra pacta, vel contra leges vi & iniuria sint peractae.

## §. LXI.

Pluribus monarchomachi vtuntur machinis, quibus summorum imperantium maiestatem oppugnare aū sunt, sed cum omnium ac singularum accurata disquisitio non quarundam pagellarum opus est, pauca haec adnotasse sufficiat.

## F I N I S.



NO.

NOBILISSIMO PHILOSOPHIAE CANDIDATO  
S. P. D.

P R A E S E S.

Quamquam, Vir doctissime, TE potissimum ad theologi-  
am & sacras litteras, cum in hac Academia duos annos  
& auidum versarere, applicauisti; tamen philosophiae se-  
mul tam egregiam dedisti operam, ut in omnibus eius partibus  
& in disciplinis mathematicis non parum proficeres. His stu-  
diis instructus sine magno negotio specimina, quae magistri ho-  
nores petenti exhibenda sunt, dare ac dissertationem ipse confi-  
cere potuisti. Ad eam scribendam argumentum TIBI dedit  
liber iste Stephani Iunii Bruti, qui forte in manus tuas in-  
ciderat. Cum ab hoc in Vindictis contra tyrannos prin-  
cipum maiestatem oppugnari animaduerteres, eorum causam  
contra illum TIBI suscipiendam esse existimauisti. Paucis  
adminiculis rem es aggressus. Ex tot enim scriptoribus, qui  
bus argumenta monarchomachorum dedita opera expendere &  
confutare propositum fuit, quosque I. N. Hertius ex magna  
parte in Dissertatione, An Summa rerum semper sit pe-  
nes populum, laudauit, nullum tecum habuisti. In ma-  
nibus tuis tantum erant Illustris Wolfi Politica & Koehleri  
ius naturale ac sociale, quorum praecepta & rationes secu-  
russ es. Rem ipsam tuo marte, nec sine industria pertractasti.  
De meo pauca addidi. Citaui quorundam auctorum loca ad in-  
stitutum tuum conuenientia. Quae praeterea attuli, non ad  
mutandam, sed ad confirmandam sententiam tuam, quae ma-  
xima ex parte mihi probabatur, notavi. Reliqua omnia in  
tua laude ponenda sunt. Quod supereft, Candidate dignis-  
sime, ut diligentiae tuae fructum uberrimum percipias,  
omniaque TIBI ex sententia succedant, precor.

Dabam die XXII, Iunii M DCC XLV. Je

## Corrigenda.

- S. 3. lin. 1. lege famem pro famen.  
 - 4. - 4. - dominia - domina.  
 - 6. - 4. - etiam - & iam.  
 - 24. - 10. - quiuis - quibus.

**ULB Halle**  
004 060 741

3







Sub. 2. num. 45. #1

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> PHIL<sup>O</sup>SOPH<sup>I</sup>A INAVG<sup>U</sup>RALIS  
QVA  
SVMMORVM 1745, 3  
IMPERANTIVM MAIESTAS  
INDEPENDENS ADSTRVITVR  
ET  
AB OBJECTIONIBVS MONARCHOMACHORVM  
VINDICATVR  
EX CONSENSV  
AMPLISSIMI PHILOS. ORDINIS  
PRAESIDE  
ERNESTO THOM  
MORAL. ATQVE IURIS NATVR. ET GENT. P. P. ORD.  
PRO OBTINENDIS  
SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
D. XXIV. IVNII A. M DCC XXXV.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SUBMITTENDA  
AB AVCTORE ET RESPONDENTE  
IOANNE ADAMO FREY  
DARMST. ALVMNO PRINCIPALI.

GIESSAE, Typis E. HENR. LAMMERS, ACAD. TYP.

